

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XLI

urn:nbn:de:bsz:31-97032

CAPUT XLI.
DE TRITICO &
THYMO.

Tritico nihil est fertilius. Nam è medio aptum si sit solum, quale in Bizacio Africae campo, centeni quinquageni modii redduntur. Misit ex eo loco, inquit *Plinius l. 18. c. 7.* Divo Augusto procurator ejus ex uno grano (vix credibile) quadringenta paucis minus, germina. Misit & Neroni similiter trecentas & quadraginta stipulas ex uno grano; cum centesimo quidem & Leontini Siciliae campi fundunt. In agro Senensi maritimis locis planta una visa est 24 spicas ferre, & unum modium centum interdum adferre comperitum. *Mathiol. in lib. 1. Diosc. cap. 78.* In Asia ultra Baetra quodam in loco adeo grande tradi scribit *Theophrastus*, ut nucleis olivæ sua æquiparent magnitudine grana singula. *Theoph. l. 8. cap. 4.* In Pilsotis autem adeo firmum nasci addit, ut disrumpatur, qui plus comederit. Indicum calamus edic arundinaceum, alba factum medulla, sacchariferarum arundinum modo, in cuius summitate paniculas fundit divulsas & vacuas. Fructus in quo grana vaginis foliaceis concluduntur, in ipso caule è lateribus prodeunt. Spica piceæ arboris exæquat conum, nuda circa eam grana pisi magnitudine, alba intus, in octo vel decem rectis lineis digesta versus. E vaginarum fastigii coma dependet, eo quo grana habentur, colore Maliz Indi vocant: biduo antequam feritur in aqua maceratur; nec concreditur, priusquam pluvii maduerit. Quarto demeritur mense: at quod in Eubæa nascitur genus, quadraginta perfici diebus *Theophrastus l. cit.* retulit. *Thymum* circa æstivum solstitium incipit. Mel inde apibus & apiariis angurium. *Theophrast. l. 6. c. 2.* Haud probe succedit mellatio, si aliter defloruerit; perit flos, si imber deciderit. Manat ex eo oleum aurei coloris, dum per calentis aquæ bal-

neum herba destillatur recens, Citrium malum sapit.
Mathiolus in lib. Diosc. cap. 37.

CAPUT XLII.
DE TABACO.

Tabacum alias Nicotiana, ab Inventore, Herba sancta; Reginae, sanctae crucis, & Petum vocatur. Nota optime iis, quibus Indicae merces notae, & qui Britannorum, Belgarum, Gallorum & aliorum excepte sufficit. Seritur cum Luna crescit, secatur cum minuitur. Est & latifolium masculus dictum & angustifolium, longiore pediculo, foemina. Minutissimum ejus semen sponte decidens, sevisissima etiam hyeme, illa sum latitat, & sequenti aetate, in multis hortis locis, ad quae vi ventorum fuit delatum, sua emicat sponte. *Camerar. in horto. Neander in Tabacolog. ex masculi semine foeminam gigni ait, si illud in terram, in qua petum antea crevit, deciderit: idque tanta luxurie, ut quotannis sponte renascatur. Ac frigoris esse impatiens; sed si bene seruetur, Citriorum more toto anno vivere, & in quartum, illa sum conservari. Monard. de simpl. medicam. scribit. Vires quod atinet, sicutiferum esse, actimoniam sapere, mentem turbare, *naphtacelan* inducere scribit Neander; Qui avidius hauriunt, exanimis concidere, & per diei spacium velut stupefactis jacere sensibus dicuntur. *Benzon. l. 1. c. 26. hist. novi orb.* Hinc serenissimi Iacobi Britannici, illustris memoriae, *Miscapnos*. Enervari enim subditorum existimabat corpora. At magna illius apud clarissimos viros encomia. Venenis resistere Hispani testantur. Vulnerati illi Cannibalum telis succo curant vulnere, tritis appositis foliis. *Monardus loc. cit.* Rex Catholicus inflictum cani venenatum, ut experiretur, vulnus, eodem ad cicatricem perduxit. Dolorem dentium & sedare penitus, & tollere scripsit *Heurnius*. Cum ego ipse (verba ejus sunt) ante annum vehementer ex dente laborarem, hanc decoxi ex aqua adjo-*